

rum coram Magistratu vel Ministro Hæretico dictum est; id quoque obtinere tametsi altera pars contrahentium sit Catholica multis solidisque argumentis evincit Svanius §. 7.

Si enim Matrimonia sint *valida* contracta coram Magistratu vel Ministro Hæretico, dum utraque pars est Acatolica; etiam *valida* dicenda videntur, tametsi una pars dumtaxat sit Acatolica; eodem argumento, quo Matrimonium contractum in loco ubi Decretum Concilii Tridentini non est publicatum, esset *validum* clandestinè initum, licet una tantum pars in loco isto domicilium haberet, altera verò in loco in quo Decretum est publicatum, & ita decisum fuisse à S. Congregatione refert Wamæus *Consilio Can. 530.*

Plura argumenta pro validitate hujusmodi Matrimonii adducit ibidem Svanius, dicitque se non ita pridem ex Amplissimo D. Van Heussen Provicario Ultrajectino Viro rerum Provinciarum istarum apprimè gnaro didicisse sequentia. "Primo quod Presbyteri de Clero eos, qui coram Ministro, vel Magistratu Acatolico conjuncti sunt, & quorum pars altera est Acatolica, passim non soleant de novo conjungere.

2. Quod constet plures ex Religiosis & inter illos etiam PP. Societatis eidem sententiæ, praxique se conformare.

3. Quod constet, similia conjugia ante tempora Illust. Castoriensis (quamvis non ita universaliter) uti *valida* fuisse habita.

4. Quod præfatus Præsul post suum ex Urbe reditum (accidit is an. 1671.) expositis S. Congregationi sententiæ suæ in hoc motivis, acceptoque ab eodem responso, faceret ipse, *quod magis in his regionibus congrueret*, praxim jam dictam efficacius frequentiusque promoverit.

5. Quod matrimonia memorata ab Acatolicis, dum juxta Patriæ leges & consuetudines sunt contracta, similiter tamquam *valida* reputentur.

XXXVII. Quin & §. 8. testatur quatuor Doctores & Pastores Patiensis consulto ab Episcopo Castoriensi respondisse, quod Hæretici iis in locis Franciæ, ubi libere habitare permittuntur, & ubi sui exercitii liberam habent Ecclesiam, Matrimonio jungantur coram Pseudo-Ministris suis, non coram Parochis, quos Pseudo-Ministros patitur Ecclesia vicem Parochorum illis gerere hæc in parte. Si verò hi ad fidem Catholicam convertantur ad S. Communionem vel Sacramentalem admittantur, etiam si non celebraverint de novo Matrimonium coram proprio Parocho. Ulterius si alter

*Addit. ad num. 16. Decretum Archiepiscopi &c.*

### Decretum Archi-Episcopi Mechliniensis in qualitate delegati Apostolici ad exercitus Regios de Administrandis Sacramentis militibus, & eorum sepulturis.

Jacobus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archi-Episcopus Mechliniensis, nec non pro Exercitibus Catholice suæ Majestatis per Belgium & partes inferioris Germaniæ, ejusdem Sedis delegatus.

**O**mnes & singulis in præfatis Exercitibus, seu quarumcumque personarum militarium curam animarum habentibus quocumque nomine nuncupatis, salutem in Domino. Ut ea, quæ à Sancta Sede concessa sunt, à Reverendissimis Ordinariis concordata, & alias ordinata pro salute militarium personarum, sicut in vinculo charitatis, inviolabiliter vobis sub penis gravibus arbitrio nostro statuendis, observanda mandamus sequentia.

Primo, Ut nulli matrimonio quarumcumque personarum militarium assistatis, nisi exactè servatis iis quæ Concilia Generalia Lateranense, & Tridentinum statuerunt sub penis ibidem ordinatis. Quod si una pars Matrimonium contrahere volentium militaris est, altera pagana, ab utriusque partis Pastoribus sicut debito modo proclamationis ac insuper persona militaris Pastorem seu Capellanum, qui matrimonio contrahendo legitime assistet, per fide digna testimonia scripta tam Sacellanorum aut pastorum, quam Capitaneorum quibus ista persona militaris proximo anno cum dimidio supposita fuit, certiorum reddet se liberam esse ad contrahendum, qua certificatione non erit opus si super proclamationibus obtemperaverit dispensatio ab utriusque contrahentium Prælo seu Prælati.

Secundo, Non licebit Capellanis cujuscumque Præsidii nisi Sacramentalibus Ecclesiarum Parochialium, nisi de licentia & assensu cujusque Ecclesie Pastoris. Quod si alicubi determinatus locus ad hoc assignatus sit, in eum sua Sacramentalia deferant Capellani, & in eo fungantur munitis Pastoralibus erga sibi subditos, ac etiam militares alios ejusdem

convertatur, altera in hæresi manente, non negetur converso S. Communio vel Absolutio in Francia, donec ambo compareant coram Parocho; neque liceat converso ad fidem deferere partem hæreticam, & alteri nubere; et si hæc nolit coram Parocho consensum renovare. Denique non sit *invalidum* Matrimonium contractum non coram Parocho, sed tantum coram Pseudo-Ministro, tametsi altera pars esset Catholica.

XXXVIII. Resolutioni tamen casus finalis merito addunt hanc salutarem clausulam: *Ceterum non licet, & gravissimè Catholicis peccare.* Neque enim ullus negat, quin Catholici gravissimè peccare soleant, cum hæreticis Matrimonia in eundo; hæcque Matrimonia ob multiplici incommoda, ac præsertim præsentaneum periculum perversionis ad hæresim & parti Catholicæ, nec non prohibus imminens, esse planè detestanda; atque Parochos debere merito sollicitos esse, ut tum in concionibus, & Confessionibus, tum privatis colloquiis exponant gravitatem peccati, quod in contrahendis hujusmodi Matrimoniis incurritur; & ut quibuscumque motivis similia Matrimonia dissuadere conentur; quemadmodum, motiva plura allegando, ostendit Svanius §. 10, qui deia §. 11. exponit, quam graviter Sacerdotes delinquant; & qua pœna puniantur, qui partem Catholicam cum Acatolica conjunxerunt, vel ut in Ecclesia Acatolicorum à Ministro conjungerentur suaserunt, vel permisferunt, dum potuerunt impedire.

XXXIX. Testatur insuper §. 10, fuisse aliquando ex mandato Congregationis Cardinalium prohibitum omnibus Pastoribus ac Missionariis, ne ullo modo Matrimonio conjungerent personas, quarum altera esset hæretica: at tam urgentes ex parte Missionis allegatas fuisse rationes, ut in benigniorè sententiam haud multo post inflecti sese passi fuerint Cardinales; concedentes ut obtemperarent licentiæ Vicarii Apostolici, Pastores alique Missionarii personas disparis religionis coram Ministro, aut Magistratu Acatolico juxta patriæ mores & statuta conjunctas, in præsentia sua demum conjungant. Hinc vetitum Missionariis, ne id sine licentiâ Vicarii attentent. "Prohibemus (inquit Constitutiones) sub pena suspensionis ab officio Missionis omnibus Missionariis, ne quis personas, quarum altera est Acatolica, nobis inconsultis, & sine speciali nostro consensu, præsumat conjungere." Deinde addunt: "Sæpè detreant Pastores, alique Missionarii plebem Catholicam, ne conjugii jugum ducant cum infidelibus, ne cum illis velint unam corpus fieri, cum quibus non possunt fieri unus spiritus."

ejusdem Præsidii, si forte aliqua cohortes, vel turma proprium Capellanum non habeant: & si interdum contingat (quod tamen rarum esse debet) Capellanum alicujus cohortis pro tempore, negotiorum causâ, à Præsidio abesse, tunc militares istius cohortis usque ad reditum Capellani sui, quoad Sacramentorum administrationem, suberunt Pastori Parochiæ, in qua hospitantur.

Tertio, Tenebuntur omni casu Capellanis suis assistere quoad Sacramentorum quorumcumque administrationem nisi miles, seu valens, seu infirmus, proprium Parochia, in qua hospitat, Sacerdotem Pastorem ad hoc elegerit.

Quarto, Capellani suos sepelient in Cœmeteriis Parochialibus cum licentiâ Parochi cujusque Ecclesie, & designato ab eo loco. Quod si in Ecclesia Parochiali, aut Regulari cujuscumque Ordinis privilegia gaudens sepultura, electa est sepultura, Capellanus militis tradet ad ingressum Ecclesie Rectori ejusdem cadaver, nisi pro bona correspondentiâ Capellano sepelitionem & officium permittat.

Quinto, Capellanus militaris, vel electus ut supra, loci Pastor, qui agrote militi viaticum porrexerit, & extremam Unctionem impenderit, ille, si velit, funeris assistet, sepulturaque solemnè peraget.

Sexto, Persona quacumque militaris, quæ (etiam si ad tempus tantum) negotiorum causâ se ad urbes receperint, aut alia loca extra Præsidium suum, suberunt pro illo tempore, quoad Sacramentorum administrationem, Pastoribus cujusque Parochiæ in qua versantur, qui similibus personis petentibus Sacramenta administrabunt, nullatenus autem Capellani militares istius Præsidii, si forte aliquod contingat ibi esse.

Septimo, Et si futurus temporibus alibi difficultas oriatur super interpretatione hujus nostri mandati, eam nobis ipsi, aut successoribus nostris in hujusmodi Delegatione Apostolica, omnimodè reservamus. Datum Bruxellæ sub sigillo nostro & Secretarij nostri signatura die 8. Martii anno Domini 1644.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illustriss. Domini Archi-Episcopi Mechliniensis Præfati.

J. HERREGOUTS Secret.

## CAPUT VI.

### De Ritibus contrahendi Matrimonii.

1. Matrimonium certis ritibus celebrari vetus est institutum.
2. Ritus hi ad essentiam Matrimonii non spectant; non tamen temerè negligendi.
3. Monendi Populus, ne Matrimonium iis neglectis contrahat: atque eum in sinem ritus populo exponendi.
4. Laudabilis est ritus celebrandi Matrimonium in Ecclesia.
5. Hic ritus licet non universalis, à Synodo Tridentina non improbat.
6. Ritus vinculum Matrimoniale designans describitur.
7. Formula à Contrahentibus & Parocho pronuntians, qua contractus Matrimonialis exprimitur.
8. Benedictio & traditio Annuj nuptialis.
9. Vetus Annuj usus; & ad quid primum introductus?
10. Mystica Annuj significatio.
11. Benedictio Sacerdotalis super novos Desponsos.
12. Missæ celebratio in aliquibus locis est vice Benedictio; & olim non nisi intra Missarum solemniam fiebat benedictio.
13. Osculum pacis Desponsis dandum.
14. Olim Fideles inter Missarum solemniam se mutuo osculabantur; & quomodo hic ritus mutatus.
15. Benedictio Desponsorum post Missam; & recitatio Evangelii super eosdem.
16. Plerique ritus desiderantur in Rituali Romano; eos tamen non improbat.
17. Parochi sequi debent ritus in suis respectivè Ritualibus præscriptos.
18. Monendi novi Conjuges ut exemplo Tobie ab usu Matrimonii se aliquo tempore temperent.
19. Monendi quoque de licentiâ Matrimonii usu; sed parçè & honestè.
20. Annotatio Matrimonii à Parocho faciendâ.
21. Quid circa conservationem Registorum Edicto Principum nostrorum cautum,

22. In celebratione nuptiarum indecora salutationes & excessiva convivia vitanda.
23. Quid pro moderandis conviviis Nuptialibus per Principes Belgii statutum.

**M**atrimonium apud Christianos etiam primis sæculis quibusdam sacris ritibus præcibusque coram Sacerdote celebratum fuisse expeditum est; sed hi ritus præcibusque variis fuerunt pro locorum & temporum varietate; uti & hodie non omnium est in his Ecclesiarum uniformitas; quam varietatem agnoscens Synodus Tridentina vult, ut Sacerdos in conjungendis Sponsis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provincie ritum. Sess. 24. cap. 1. De Reformat. Matrimonii.

II. Hi quidem ritus ac præces ad essentiam non spectant Matrimonii; nec earum ommissio validitatem ejus impendit: eas tamen omittere citra necessitatem aut legitimum dispensationem omninò illicitum est.

Ulterius, quia ab Ecclesia instituti sunt, Matrimonio benedictionem accersere solent; & eorum temeraria ommissio & profanus contemptus maledictionem in ipsos contrahentes; ipsamque Matrimonium non raro accersere.

III. Monendi proinde Fideles, ne clandestinè & prætermittis præscriptis ab Ecclesia ritibus Matrimonia iniire præsumant.

Hoc ut persuadeatur, multum conducit, ostendere, plerisque ritibus hodie adhiberi solitos, non esse recent inventos & institutos; sed ex Antiquorum traditione ad nos pervenisse.

IV. Primo in Belgio hodierna consuetudo habet, ut Matrimonium, quemadmodum alia Sacramenta, in Ecclesia celebrari debeant.

An olim quoque ipsum Matrimonium in Ecclesia celebratum fuerit non perinde constat.

Legitur quidem antiquitus Matrimonia in facie Ecclesie aut coram Ecclesia fuisse contracta; sed sciendum, Ecclesiam ibi sumi pro congregatione seu cœtu Fidelium; ideoque Matrimonia in facie Ecclesie celebrari; idem valet, ac publice coram cœtu Fidelium celebrari; hujusmodique Matrimonia clandestinis conjunctionibus opponebant.

Quidquid sit, non dubium, quin laudabilis sit Ecclesiarum



clisiarum Belgicarum hæc consuetudo; eamque retinendam præcipit Synodus D. Mechliniensis an. 1609. tit. 9. c. 6. "Laudabilis est hujus nostræ Diœcesis consuetudo", (ait) quod Matrimonia & in Ecclesia, quæ Sacramentorum proprius locus est, & inter Missarum solemniam contrahantur. Quare cum sacrum Concilium Tridentinum ejusmodi consuetudinem retineri vehementer optet, præcipimus, ne quis absque speciali nostra licentia ei contravenire audeat.

Idipsum decernit Synodus Antverpiensis sub Miræo tit. 10. cap. 9. additque, *potissimum diebus Dominicis & Festis*. Ac deinde: "Nullus autem Pastor sub gravi pœna post meridiem Matrimonium solemnizare præsumat." Et cap. 9. proferbit juvenum quorundam insolentias, quæ etiam in ipso templo circa novos Desponsos contingere solebant.

Synodus Adomarenfis tit. 10. cap. 12. ait: "Sancta igitur cum si res (Matrimonium) non contrahatur nisi in Ecclesia, nequaquam in privatis ædibus quantumvis honestis.

V. Advertit Zypæus titulo de Sponsalibus num. 19. quod "Concilium Tridentinum, benedictionem quidem in templo suscipi mandat, non æquè Matrimonium ibi contrahi: adeo ut sacra Congregatio censuerit, Ordinarium non posse prohibere, quin Matrimonia domi celebrentur servata Concilii forma, referente Sanchez lib. 3. disp. 15. num. 20. aliisque, sed id quidem pro iis regionibus non improbo (ait Zypæus) ubi virgines rarè in publicum prodeunt, sed in libertoribus gentibus, ut sunt nostræ Belgicæ, probare non possum; ubi quidem usus hæcenus obtinuit; ut non extra templi parietes Matrimonia solemnizentur." Hæc ille; qui ibidem ostendit, hunc usum in his regionibus esse laudabilem; atque referendum inter laudabiles consuetudines, quas Synodus Tridentina retineri voluit.

VI. Sponsis Ecclesiam ingressis, atque utroque per Parochum specialiter & singillatim interrogato, utrum venerint huc libera sua voluntate, & à nullo coacti ad contrahendum inter se Matrimonium, & utroque respondente affirmativè, tunc Sacerdos juxta Rituale Mechliniense, conjunctis dextris amborum, & stola involutis, cum signo crucis, invocata SS. Trinitate dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; inchoetur mysterium*.

Ex Iudoro refert Gratianus *caus. 30. q. 5. Can. 7.* "quod nubentes post benedictionem via invicem quasi uno vinculo copulantur, videlicet ideo fit, ne compaginem conjugalitatis dirumpant.

Vitam hanc fuisse candido purpureoque colore variatam testatur ibidem Iudorus; mysticam horum colorum rationem subjiciens: "Candor (ait) ad munditiam vitæ, purpura ad posteritatem sanguinis designandam adhibetur: ut hoc signo & continentie lex tenenda ab utrisque ad tempus admonetur; & post hæc reddendam debitum non negetur.

VII. Post hæc præmissa monitione de indissolubili Matrimonii vinculo, monet primò Sponsum, ut secum & intelligibiliter pronuntiet formam contractus matrimonialis; sive verba distinctè consensum Matrimoniale exprimentia: quibus pronuntiat, eadem proponit Sponsæ pronuntianda; ac dein data sic utrimque fide, dicit Sacerdos: *Et ego tamquam Dei Minister, vos in matrimonium conjungo: In nomine Patris &c.*

Ita Rituale Mechliniense; quibus serè consonat Rituale Romanum, & quamvis nec verba à Contrahentibus, nec formula à Sacerdote pronuntianda sint de substantia Matrimonii; sufficiatque & hodie consensum Matrimoniale, etiam sine verbis coram Parocho nulla verba proferente, neque Matrimonium confirmante, imò positivè improbante, præstari, ut validum sit Ma-

Matrimonium: tamen nec Parocho licet his omiſſis aut alia forma Matrimonium solemnizare, aut ei consensum præbere, aliàs graviter puniendus, uti & Contrahentes præscriptos ritus contemnentes.

VIII. Sequitur ex præscripto Ritualium, benedictio annuli secundum formam in Rituali cujusque Diœcesis præscriptam. Rituale Romanum præscribit, ut Sponsus annulum benedictum de manu Sacerdotis acceptum imponat digito annulari sinistræ manus Sponsæ, Sacerdote dicente: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, Sacerdos postquam annulum asperſit aqua benedicta, insertit illum digito annulari dextræ manus Sponsæ, aut alteri secundum morem loci dicendo: *Accipe annulum fidei Matrimonialis in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ut illam portans, sis armata virtute celestis benedictionis, & proficiat tibi ad salutem æternam*.

IX. Antiquissimus est annuli usus apud Veteres. Et quidem tam apud Romanos, quam Hebræos moris fuisse, ut in omni pactione loco arrhæ annulus daretur, ex Plinio & Historia Sacra *Genesis 38.* observat Baronius ad annum 57. atque ex hujusmodi usu fluxisse videtur (pergit Baronius) ut cum spondentur nuptiæ, Sponsus loco arrhæ, sponsæ det annulum.

Annuli Sponsaliti meminit quoque Tertullianus in Apologetico cap. 6. ubi exponens pristinam mulierum Christianarum modestiam; ait: "Cum aurum nulla notat præter unico digito, quem sponsus oppignoraſſet pronubo annulo.

Meminit quoque hujus annuli Clemens Alexandrinus in Paradago suo Christiano lib. 3. cap. 11. asseritque, quod *daretur uxori non ornatus gratiâ, sed ut obſignaret qua domerant*. In signum nimirum curæ rei domesticæ; in quem quoque finem claves novæ nuptiæ tradit solitas testatur Festus. Obſignari enim solitas penurias arcas ne furriperentur à servis, ex Plinio notat Baronius loco citato: observans insuper, annulos sponsalitos olim apud Romanos fuisse plerumque ex ferro; unde & Tertullianus de Habitu mulierum cap. 15. generatim dicit: *Nam & annuli ferro sunt*.

X. Apud antiquos Christianos annulis sponsalitiis insculptum fuisse signum fidei, quod est Hieroglyphicum amoris & concordie, monet ibidem Baronius.

Hanc annuli significationem non obscure insinuat Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros apud Gratianum *caus. 30. q. 5. Can. 3.* "Postquã arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit. Et apertius Iudorus, apud Gratianum ibidem *Can. 7.* "Quod in primis nuptiis annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter *mutua fidei* signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto digito annulus idem insertitur, quod in eo vena quædam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat.

Eandem mysticam annuli significationem indicat formula traditionis annuli ex Pastoralis Mechliniensis suprâ relata. Et in ejus benedictione dicitur juxta Rituale Romanum: "Benedic Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus, ut quæ eum gesta verit, *fidelitatem integram* suo sponso tenens, in pace & voluntate tua permaneat; atque in *muna charitate* semper vivat.

XI. Post annuli benedictionem & traditionem, sequitur Sacerdotalis benedictio; quam flexis genibus ante Altare à Sacerdote noviter conjuncti suscipere debent.

Quamvis formulæ benedictionis nuptialis, quæ hodie extant in Ritualibus sint recentioris ævi; atque in variis Ecclesiis diversa, ipsa tamen Sacerdotalis benedictio antiqua est, & apud Christianos jam pridem usitata.

Hujus

Hujus benedictionis meminit Clemens Alexandrinus loco citato. Loquens de comis fictitis mulierum quasi benedictionem impediendis ait, "Cui autem manum imponit Presbyter, cui autem benedicat? Non mulieri, quæ est ornata, sed alienis capillis, & per hoc alii capiti. Synodus Carthagenensis IV. *Can. 13.* apud Gratianum *caus. 30. q. 5.* ait: "Sponsus & Sponsa cum benedicentibus sunt à Sacerdote, à parentibus suis & paranympis offerantur.

Plures ibidem Canones, qui hujus benedictionis meminerunt, recitat Gratianus; licet forsitan non tam antiqui sint, quàm sunt auctores quorum nomina referunt.

XII. benedictione absoluta ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, "novi conjuges honesti loco collocati, audiunt Missam, orantes Deum pro Matrimonii jam inti prospero successu.

Rituale Romanum indicat, Missam dumtaxat, celebrandam, si nuptiæ sint benedictæ; atque ita ipsam Missæ celebrationem esse vice benedictionis. Post benedictionem enim annuli immediatè subjicit. "His expletis, si benedictæ sint nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur. "Neque alterius benedictionis meminit.

Et sanè pridem benedictio nuptiarum intra Missarum solemniam fiebat post *Orationem Dominicam* & omnia alia quæ intra Missarum solemniam olim benedicebantur, uti clarum est ex nostris Sacramentalibus, inquit Hugo Menardus in notis ad Sacram. *pag. 414.* qui primus edidit ex Codice Remensi exarato circa annum milleſimum *Actonem* seu Missam propriam *nuptialem*, in qua inter alia dicitur: & dicitur *Orationem Dominicam*, & sic eam (Sponsam) benedicat, his verbis: *Deus qui mundi crecentis exordium &c.*

Hujus veteris ritus vestigium est, quod in Pastoralis Mechliniensis præscribitur: "Dicto *Pater noster* Sacerdos antequam dicat: *Libera nos quesumus Domine*, stans in cornu Epistolæ versus Sponsum & Sponsam, ante altare genu flexos, dicit super eos sequentes orationes: "Hæc enim orationes locum pristina benedictionis supplent.

Ad benedictionem Sacerdotalem seu potius benedictionem Ecclesiæ ministerio Sacerdotis impertiendam, nec non ipsam Missæ Sacrificium in nuptiarum benedictione celebrati consuetum non obscure alludit Tertullianus lib. 2. ad *Uxorem* cap. 8. dicens. "Unde sufficiens ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat; & confirmat *oblatis*, & obſignat benedictio.

Ad hæc verba, confirmat *oblatis*, reflectens Vir eruditus Nicolaus Rigaltius ait: "Cum ab Ecclesiæ Præpositis conjugium, ut Septimus dixit, conciliatum solemnè die Ecclesiæ sistitur, communibus fidelium votis inter Sacrificiorum orationes benedicendum.

XIII. Addit præterea Pastorale Mechliniense: "Mister celebrantis, osculum pacis à Sacrificante acceptum desert primum Sponso, ac deinde Sponsæ (qui cum gratiarum actione, ac mutæ charitatis desiderio illud accipiunt in signum charitatis ac perpetuæ pacis Christi cum Sponsa sua Ecclesia) & postea ordinate cæteris in honorem nuptiarum præsentibus.

Osculi nuptialis meminit Tertullianus libro De *Velandis Virginibus* c. 11. Nec dubium quin sibi mutuo olim Sponsi osculum darent.

XIV. Fideles enim in ipsa sacra Synaxi se mutuo salutasse, seu pacem dedisse, multis ostendit Cardinalis Bona lib. 2. *Rerum Liturg.* cap. 16. & concludit: "Signum igitur, mutæ dilectionis & pacis erit osculum inter Christianos, à quo procul aberat omnis suspicio impuri affectus.

Deinde paucis interpositis subjungit: "Veteri tandè

simplicitate in malitiam degenerante, subtractum paulatim est osculum, & ejus vice mos introductus porrighendi tabellam cum Crucis vel Christi imagine, quam superioris sæculi Scriptores *oscularium* vocant, de quo vocabulo agit Spelmannus in Glossario.

XV. Absoluta Missa postquam novis Conjugibus ac toti populo communis fuerit impensa Missæ benedictio, priusquam Sacerdos incipiat Evangelium S. Joannis, adducendi sunt novi Conjuges ad altare ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, ad quos conversus Sacerdos dicit: "Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, sit vobiscum: & ipse impleat benedictionem suam in vobis, ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad tertiam & quartam generationem; & postea vitam æternam habeatis sine fine &c.

Ex ejusdem Pastoralis præscripto Sacerdos legere debet Evangelium S. Joannis *In Principio erat Verbum* super novos conjuges; atque lectum Evangelium Crucis impressione signatum exhibere utrique osculandum.

XVI. Pleraque hæc sacræ ceremoniæ, & iteratæ benedictiones desiderantur in Rituali Romano; ubi brevis admodum formula solemnizandi Matrimonium habetur, subjiciens propterea hanc cautionem Synodi Tridentinæ: "Cæterum si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis in celebrando Matrimonio utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retinere.

XVII. Parochi igitur in hisce præscripta Ritualium suorum sequi debent, ac frequenter ostendere populo salutarem usum harum ceremoniarum; ac signanter efficaciam precum & benedictionum, quæ nomine Ecclesiæ super novos Conjuges funduntur; quodque merito timeant, qui iis contemptis contra Ecclesiæ præscriptum Matrimonia ineunt, ne maledictionem pro benedictione in se & proles suas accerant.

Deinde hic notandum benedictiones in Ritualibus præscriptas dumtaxat primas nuptias concernere, uti infra ubi de secundis nuptiis agetur latius dicitur; ratioque illius diverſitatis assignabitur.

XVIII. Matrimonii solemnizatione absoluta monet Pastorale Mechliniense Parochum, ut novos conjuges egregiè etiam coram populo hortetur, ut ad exemplum Tobie, & factorum Canonum *consilium*, propter reverentiam Sacramenti & benedictionis bido vel triduo orationibus vacent, & castitatem servent, ut sic tamquam filii sanctorum conjugum Christianam cum Dei timore consummant, sciant uterque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non autem in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum.

Ex Concilio Carthagenensi IV. *Can. 13.* refert Gratianus *caus. 30. q. 5. Can. 5.* "Qui (Sponsus & Sponsa) cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permanent.

Glossographus reflectens ad hæc verba: PRO REVERENTIA, ait, *Ergo non erit peccatum si aliter fiat*: quod coincidit cum eo quod Pastorale dicit, ad *sanctorum Canonum consilium*.

XIX. Rectè quoque monet Synodus Adomatenfis tit. 10. c. 17. Parochos ut novos conjuges instruant, ubi res postulat, verecundè & modestè, ut non existiment, sibi quidvis inter se licere, nec se habere mutuum corporum potestatem ita ut quidvis alteri liceat, cum alterius corpore; nec enim aliud corporis nominè, ne Apostolum intelligere, ubi ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, quam membra ad generationem à natura deputata, quibus utantur eo modo, quo ex naturæ institutione generationi serviunt, non alio: nam si alio, non conjuges, sed